



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Rvbvs Ardens Incombvstvs. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

Ad terram promissionis mihi pen-
 dum, obstat mare tribulationum, ^eost is
 instat, vrget, vestigia premit; extende
 potentem manum tuam, O Regina Cœ-
 li percute hoc mare, dissipentur aquæ, vt
 sicco pede transeam, hostis furorem ef-
 fugiam, & in terra lacte, & melle manā-
 te, mihi cœlitus promissa, gloriosè De-
 um magnificare possim. Quæ in cœlis
 coronata triumphas in omnem æterni-
 tatem, Amen.

LILIVM INTER SPINAS.

Vide in Lauretanis: Rosa mystica.
 fol. 71.

R. V. B. V. S. A. R. D. E. N. S. I. N. C. O. M. B. V. S. T. V. S. a

Non sum nescius, rubum ardentē,
 sicut & plures alias Figuras S.
 cripturæ, & vaticinia, quæ in L. ra

M 2

nij.

a Exod. 3.

is tā
 otus
 a la-
 j sui
 E-
 legis
 Quin
 etu,
 enter
 diri-
 eos,
 oui-
 e, &
 c me
 s, in-
 Virga
 arce,
 esto
 ubri-
 nem,
 irem
 Ad

nijs ponuntur, de Christo, Ecclesia, & alijs quandoque explicari posse, & solere à SS. Patribus, mihi tamen propositum est, similia tantum B. Virgini applicare, quæ mens Ecclesiæ est in his Litanijs. feci id hæctenus, & facturus sum posthac.

Beatissima Virgo Maria rubus ardens, & incombustus fuit, quando Redemptorem nostrum concepit, & quando eundem Mundo peperit: imò verò etiam quando ipsa concepta fuit. Videbatur enim homo nobis similis, obnoxia Originalis maculæ, & tamen ab ea præseruata fuit, & minimè infuscata.

Quando Christum concepit, reddebatur grauida, Iosepho apparebat adultera, & tamen illæsa permansit: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto erat.

Quando eundem peperit, Mater videbatur, & erat. Et tamen Virgo antepartum, Virgo in partu, Virgo post partum. Ideo canit Ecclesia: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus*

nouimus tuam laudabilem Virginitatem. Sed & dolore carebat.

S. Bernardus hom. 2. super Missus. Portendebat inquit, rubus ille Mariam parientem, & dolorem non sentientem. Quando Deipara Deum, qui ignis dicitur (Deuter. 4.) concepit, Virginitatis virorem retinuit.

S. Damascenus miratus hanc Christi conceptionem plenam miraculis, ita sibi respondet: *a Spiritus S. inquit, Virgo Diuinitatis suae rore ita te seruauit, vt ab igne diuino minime absumereris. Nam hoc quoque Moysis rubus praesignabat.*

Ildefonsus, magnus Virginis amator & cultor, ita de rubo ardente ratiocinatur. *a Hoc, inquit, rubo incombusto manente. Virginitatem B. Mariae conseruatam credimus corde, confitemur ore: Quoniam Spiritus Sanctus qui Deus, ignis consumens est, tota inflammauit, & incanduit, ita vt Mater fieret Christi, & Templum Diuinae Maiestatis.*

M 3

Curio-

a Orat. I. de Natiuit.

b Serm. I. de Assumpt.

Curiosè aliqui interrogant, cur Deus ad tantum mysterium significandū, Rubum alijs nobilioribus arboribus præposuerit. Respondetur id factum propter duas rubi proprietates. Prima est, quod eius folia serpentibus sint infestissima, vt patet ex D. Ambrosio lib. 3. Hexam. c. 8. Philone Iudæo, & Dioscoride. Secunda, quod ob pungentes spinas, folia eius ab omnibus maneant intacta. Vt ergo Deus significaret Virginem Matrē eius semper intactam fore, & antiquo serpenti inimicam, Rubum præ cæteris elegit. Est ergo Maria instar Rubi, parvula propter humilitatem: Viridis fide, & omni genere Virtutum: Florida propter Virginitatem, & fœcunditatē, quia in flore, spes fructus est: *In me omnis spes vita & virtutis.* a Odorifera propter Virtutum fragrantiam. In plateis sicut cinnamomum & balsamum &c. Aculeata spinis, propter tribulationum puncturas, maximè in filij sui passione.

PIÆ

a Eccli. 24.

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

F.

MOyses vidit hoc magnum myfte-
rium in deserto obambulans. A-
mat Deus quietem, quando no-
biscum vult agere. *Non in vento forti,
non in commotione Dominus, a sed in
sibilo aure tenuis. Consilium Domini est: b
Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, &
clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito,
Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor
eius. c In meditatione exardescet ignis. Ps. 38.*

2.

Vadam & videbo visionem hanc ma-
gnam dicebat Moyfes. Conatus noster
adhibendus, quando Deus nobis ali-
quid ostendit, accedendum, vt videamus
momenta rei, & quid Deus à nobis exi-
gat.

M 4

3. Soli

a 3. Reg. 19. b Matth. 6. c Ose. 2.

3.

Solue calceamentum de pedibus tuis. Humiliter & reuerenter accedendum ad Dominum, puro cordis affectu mysteria Dei tractanda. Christus Dominus lauit pedes suis discipulis, antequam cosuo sanctissimo corpore & sanguine paui. hic saltem calceamentum soluere iubetur, fortè ob defectum aquæ; propter sanctificationem tanti mysterij, certè & pedes lauare decuisset.

4.

Terra, in qua stas, terra sancta est. Hic tantum per Angelum locutus est Dominus, & tamen terram sanctam appellat. Quis ergo honor nostris templis deferendus, vbi ipse Deus præsens est, in sacrificio Missæ, & custodia sanctissimi Sacramenti? Vt taceam administrationem Baptismi & aliorum quoque Sacramentorum? Loquitur nobis Dominus: ex cathedra, & sede confessionis: respondet nobis in orationibus, & gemitibus nostris, quando in templo oramus.

5. Om-

5.

Omnis anima iusti huic rubo comparari potest. *Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus.* a Patet in Iob, Tobia, & plurimis alijs. Mundus subministrat faces, diuitijs, honoribus, voluptatibus. *Et concupiscentia quasi ignis exardescit;* b & licet quidem eligere, *potius nubere, quam vri:* Iustus tamen, & Deo fidens, non superatur ab hoc igne. Imò S. Benedictus dum vreretur, ne combureretur, ad spinosum Rubum confugit, in spinis se volutauit. Sic plures alij. Ecce Rubum ardentem non combustum. Melius est sic vri, quam nubere.

6.

Quæuis anima deuota deberet esse Rubus incombustus, humilis benè radicata, densa spinis, aspera pœnitentijs, intractabilis aduersus blanditias Mundi, carnis, & Diaboli. Viridis, virtutibus. Omni ergo custodia custodiamus, & sepiamus cor nostrum tali rubo.

M 5

ORA-

a Sap. 3. b Eccli. 9.

ORATIO.

Video rubum magnis mysterijs ar-
 dentem; Quin ergo soluo calcea-
 mentum, & nudis plantis reueren-
 ter accedo? Ah admitte me anhelantem,
 O Regina cœlitum, vt videam visionem
 hanc magnam. Videt te Moyfes igne fla-
 grantem, nec tamen consumptam. Ni-
 gra es, sed formosa: ardes, & tamen vires:
 Mater es, paris, sed sine dolore, & cum
 Virginitatis honore. O magnum myste-
 rium. Vocauit Deus Moyfen ex rubo;
ah sonet etiam vox tua in auribus meis: vox
enim tua dulcis: inflammari cupio, & ardere
desidero, imò etiam consumi ardeant; dumeta
cordis mei, illa aspera vepres, quæ suffocant
bonam sementem, & me intractabilem red-
dunt domesticis fidei. In cinerem vertatur
 quidquid in me coram oculis Dei aspe-
 rum & horridum est: flagrent spinæ no-
 xiarum cupiditatum huius Mundi:
 Concālescat cor meum intra me, & in
medi-

ditatione mea exardescat ignis : flagrem amore tui , dulcissimique nati tui , O castissima Virgo, & Mater : Ignis cœlestis comburat, & absumat in me , quidquid amo præter Deum , & te. Quæ in cælis coronata triumphas in omnem æternitatem. Amen.

VELLVS GEDEO-

NIS. a

HActenus ardebât Bustus , nunc rore madet Vellus , idem tamen mysterium per vtrumque cælitus Mundo proponitur.

Per hoc Vellus Beatissimam Virginẽ esse à Spiritu S. præmonstratam, tota Ecclesia Catholica confirmat, quæ in festo Circumcisionis canit; *Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ; sicut pluuia in vellus descendisti, vt saluum faceres genus humanum.* Ita passim SS. Patres intellexerunt, & explicârunt:

M 6

Petrus

a Iudis. 6.